SEMPRONIUS ASELLIO
QUEM LOCUM QUAMQUE VIM
INTER HISTORICOS ROMANOS
HABUERIT.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

GUILELMUS EGGERT,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXIX.

Romanos in poësi plerumque Graecorum exempla secutos esse neque proprii quidquam nisi satiram et atellanas fabellas in lucem protulisse constat. Sed in pedestri oratione quis est quin sciat, eos rebus gestis scribendis, eloquentia, jurisprudentia excelluisse. Jam nos hoc libello quid Romani in historia scribenda valuerint contemplaturi sumus, atque praecipue quem locum quamque vim P. Sempronius Asellio inter scriptores rerum gestarum Romanos habuerit exponere studebimus.

Quodsi hoc facere volumus, nobis ad initia Romanorum ipsa et antiquissima tempora, ex quibus scripta tradita habemus, spectandum est. Jam apud Romanos, sicut apud omnes propinquas gentes Italicas, quae res prima ingenium humanum exercuit, carmina fuerunt, quibus dii invocabantur aut singuli virtute insignes homines praedicabantur (cf. Dion. Halic. 8, 26. Liv. 2, 40.). Maxime Romani laudationes, mortuis sepeliendis, faciebant, et in coena convivas deinceps praeclarorum virorum virtutem celebrasse Cato narrat (cf. Cic. Tusc. 4, 2. Brut. 19, 75.). Etiamsi haec carmina epica non intelligenda sunt, in quibus initia

historiae Romanae posita esse Niebuhr putat, tamen negare non possumus, iisdem magnam vim in antiquissimam historiam fuisse, quum horum carminum materia posteriores annalium scriptores usos esse appareat, quare quod tanta fabularum prodigiorumque copia nobis occurrit illis temporibus antiquissimis, mirum non est. Tum in pedestri oratione primas scripturas invenimus, quae partim leges et foedera, partim prima initia nobis praebent, quae historia habuit. In legibus numerantur leges regiae et commentarii regii, qui jura pontificalia continent et nomine regio tantum majoris auctoritatis causa affecti esse videntur. In foederibus antiquis praecipue illud cum Carthaginiensibus anno quingentesimo nono a. Chr. n. factum memorandum est, quod Polybius 3, 22. accurate transferre se studere, sed non posse dicit, quum sermo Latinus ab illo tempore usque ad bellum Punicum secundum tantopere mutatus sit, ut ne doctissimi quidem illud foedus intelligere possint. Polybii verba sunt: *τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρίνειν.* Juxta haec pacta et foedera, qui gravissimi certissimique fontes scriptorum sunt, commentarii vel acta omnium fere magistratuum sive sacerdotalium sive aliorum exoriuntur velut commentarii pontificum, consulares, libri praetorum, tabulae censoriae, quae omnia opera praecepta de singulorum magistratuum collegiorumque disciplinis aut eorum facta continebant. Huc pertinent etiam annales pontificis maximi, qui proprium historiae initium praebent, de quibus accuratius Servius ad

Aeneid. libr. I, v. 373: „Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies, cujus diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant annales maximos appellarunt." — Haec igitur jejuna atque arida scripta (cf. Quint. 10, 2, 7.) sunt, et nihil jucundius his annalibus esse Cicero tantum dicit, quod propter antiquitatem et materiam venerabiles aliquid jucundi cuique praebere possint.

Quodsi Ciceronem sequimur (de orat. 1, 2.), hi annales in publico propositi sunt, qui mos ab initiis reipublicae usque ad P. Mucium Scaevolam fuisse dicitur, qui anno centesimo trigesimo tertio a. Chr. n. consul erat. Jam praeter hos annales et commentarios publicos etiam familiae singulae nobiles commentarios libros habebant, quibus ab historicis usurpatis maxime antiquissimam historiam exornatam passimque falso mutatam invenimus, id quod Cicero in Brut. c. 16. dicit: „ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum si quis ejusdem generis occidisset et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam, quamquam his laudationibus historia rerum gestarum est facta mendosior: multa enim scripta in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa etc."

Haec igitur prima initia historiae Romanae multos per annos eodem modo manserunt. Nam dum Romae partes patrum et plebis inter se certant, literis nulla occasio et opportunitas data erat neque quicquam, nisi perpauca monumenta novimus, quae nobis linguae progressum demonstrent. Quorum antiquissimum sunt XII tabulae, quarum fragmenta sermonem Latinum nondum certum conformatumque praebent, quum subjectum non significatum et elocutiones sine ulla arte inter se conjunctas inveniamus.

Verisimile est, has breves sententias formulasque versu Saturnio scriptas esse, quum Cicero id necessarium carmen dicat, quod puer in schola didicerit. Deinde longum intervallum est, quo tantum prima scenicae artis initia nobis occurrunt, et medio demum quinto saeculo Urbis conditae simul tres nobiles sapientesque viri exstiterunt, Appius Claudius Caecus, Tiberius Coruncanius, P. Sempronius Sophus. Appium Claudium Caecum bis consulem anno trecentesimo septimo et ducentesimo nonagesimo sexto a. Chr. n. primum formasse pedestrem orationem Romanam Isidorus in Orig. I, 37. dicit. Appii enim oratio de Pyrrho habita in senatu splendidum exemplum eloquentiae illius temporis praebet, quamquam non tam arte elegantiaque quam saluberrima vi et robore excellit. Tum P. Sempronii nomen Sophi jam demonstrat, Romanos literis Graecis studere coepisse. Neque ignoramus illo tempore Postumium Tarenti in contione Graece loqui potuisse. Paullo post tempore belli primi Punici columna Duilia

in primae navalis victoriae memoriam statuta est, ex cujus inscriptione nobis conservata cognoscimus, linguam in sententiarum conjunctione progressam esse, quamquam ratio verborum scribendorum etiamtum anceps et vetustissima est.

Tum vero Roma ipsa Italia superata majorem auctoritatem assecuta est et principatum imperiumque orbis terrarum appetere coepit. Postquam Tarento aliisque urbibus Graecis subjectis Romani mores et linguam Graecorum magis magisque cognoverunt, etiam literae studiaque eorum Romam translata sunt.

Primus Livius Andronicus Graecos poetas secutus fabulas scripsit atque materiam linguae rudem Odyssea translata ad continuam orationem accommodavit. Etiam majoris momenti erat Cn. Naevius, qui res Romanas tractavit et eloquentissimum se oratorem lingua Latina esse gloriatus est neque injuria, quum poëmatis suis sermonem Romanum molliorem magisque expeditum redderet. Tum tempore proximo Romani celeriter processerunt et statim bellum Punicum secundum totam ingenii Romani vim excitavit, dum artes literaeque Graecorum magis magisque se diffundunt. Itaque hoc tempore etiam oratio pedestris ad majorem conformationem pervenit et initia historiae artificiose scriptae simul in lingua Graeca et Latina invenimus, quum nobilissimi viri sibi summo honori esse putarent, si res gestas posterorum memoriae proderent. Primum res ipsae illis viris gravissimum momentum erant et verba formamque minus curabant eamque negligebant, ita ut Romani ipsi initio Graece

scriberent, quod mirum esse non potest. Nam usque ad hoc tempus aridos solos siccosque annales habebant, Graeci autem jamdudum Italiae Romaeque historiam scripserant velut Hellanicus Lesbius (485 a. Chr.) et postea Antiochus Syracusanus et Hieronymus Cardianus (350 a. Chr.), atque quod Graeci autores scriptoresque iis exempla in ratione scribendi esse poterant, velut Herodotus, Thucydides, alii, quos imitari primum Romanorum erat, donec tandem ipsi magna et praeclara opera confecerunt, quae digna sunt, quibus locum inter optima pulcherrimaque Graecorum artificia hujusmodi concedamus. Jam denique in urbe Roma ipsa tempore belli secundi Punici duo viri existunt, Q. Fabius Pictor et L. Cincius Alimentus, qui ordinem historicorum Romanorum incipiunt, postquam annales maximi Romanis literis studiisque Graecis eruditis aut conscientia potestatis imperiique confirmatis satisfacere desierunt.

In his historicis Romanis etiam habendus est noster P. Sempronius Asellio; quem accuratius cognoscere et videre qui locus ei inter ceteros historicos attribuendus sit, huic libello propositum est.

Jam primum priusquam vitam Sempronii proponere studeamus, nobis disputandum est, quod praenomen habuerit. Vossius in libro de historicis Latinis nullum praenomen attulit neque reliquiae historiae Asellionis ullum praebent, sed tamen Publium eum nominatum invenimus in Bernhardii historia literaria et apud Krausium in ejus vitis fragmentisque historicorum. Ceterum hi duo viri docti illud praenomen

hausisse videntur ex Funccii libro de linguae Latinae adulescentia, ubi sane inter ceteros historicos P. Sempronius Asellio inducitur, sed paullo post dum in universos scriptores respiciens omnibus ceteris praenomen addit, Asellio solus sine eo est, ita ut mihi hoc praenomen ex Funccii animo exortum esse videatur neque nos illud ignorare negare possimus. In fragmentis quidem, quae Rothius edidit, locus allatus est ex Livii epitome libr. 74. ubi exstat: „A. Sempronius Asellio praetor in foro occisus est,“ sed hic praetor noster Asellio scriptor esse posse mihi non videtur. Nam si illum locum Livii cum Appiani bello civil. I, 54. conferamus, videmus praetorem illum Asellionem medio in foro in ipso magistratu inter sacrificandum quum foeneratores vetere lege de foenore renovata offendisset, bello civili anno octogesimo nono a. Chr. n. occisum esse. Nostrum autem scriptorem jam bello Numantino anno 133 a. Chr. n. stipendia sub P. Scipione Africano meruisse Gellius Noctt. Att. 2, 13. docet: „Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit resque eas, quibus gerendis ipse interfuit conscripsit.“

Quodsi ponamus nostrum Asellionem bello Numantino tantum circiter viginti annos natum fuisse, deinde praeturae provincia anno 89 a. Chr. functum sexaginta quatuor annorum aetatem egisse necesse est, quum ex quo lex annalis anno 182 a. Chr. n. data est, praetura jam anno aetatis quadragesimo appeti posset.

Jam vidimus Asellionem bello Numantino tribunum

militum fuisse. Coepit autem bellum Numantinum anno 140 a. Chr. C. Laelio Sapiente, Q. Servilio Caepione Coss., diruta Numantia est anno 133 a. Chr. n. P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio Pisone Frugi Coss., ex quo Krausius concludit, Asellionem ferme 164 a. Chr. n. natum esse videri, ita ut doctus vir eum tribunum militum circa triginta unum annos natum fuisse putet. Scripsisse noster videtur, pergit Krausius, aetate jam provectus medio saeculo septimo Urbis, quia a Cicerone de legg. I, 1 post Coelium Antipatrum et Gellios et Clodium nominatur. Eandem sententiam jam Vossius habet, qui dicat: „Sed non paullo post historiam edidisse arbitror, quandoquidem scripsit post Coelium Antipatrum, qui fine saeculi secundi a. Chr. n. scripsisse videtur, quum Pomponius in titulo de orig. jur. § 40. inter alios eum nominet, ex quibus P. Rutilius Rufus 105 Consul fuit. Equidem huic sententiae assentior atque etiam puto, Asellionem demum post bellum Marsicum opus suum composuisse, id quod postea, quum fragmentum ex Gell. XIII, 21. ad hoc tempus referendum esse videatur, demonstrabo.

Tum a Dionysio in Antiquit. Rom. I, p. 9. auctor profertur *Γάϊος Σεμπρώνιος* et p. 11. *Σεμπρώνιος*, quem utrumque locum mihi recte Krausius ad C. Sempronium Tuditanum rettulisse videtur, qui scriptor paullo ante nostrum historiam Romanam ab antiquissimis temporibus scripsit, quum noster, quantum scimus, tantum res tempore suo gestas vel proxime praeteritas exposuerit. Ceterum Vossius hunc Dionysii locum falso

ad nostrum Asellionem refert et dicit: eum Dionysium reposuisse inter λογιωτάτους τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων. Deinde Krausius putat, quatuor primis libris Asellionem de Punicis bellis scripsisse videri et conferri jubet Gellium 13, 3 ubi exstat „Legebam Sempronii Asellionis veteris scriptoris quartum ex historia librum, ex quo de P. Africani, Pauli filio ita scriptum est: nam se patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum nimis bonum imperatorem signis collatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset.“ Attamen omnino non intelligo, cur Krausius hoc fragmentum ad bellum Punicum retulerit, quum idem Scipio etiam Hispanicum gesserit, praesertim quum Rothius conferri jubeat Appiani de reb. Hisp. c. 87. εἶναι δὲ ἄλογον κινδυνεύειν ἐπὶ ὀλίγοις· καὶ στρατηγὸν ἀμελῆ, τὸν ἀγωνιζόμενον πρὸ τῆς χρείας· ἀγαθὸν δὲ τὸν ἐν μόναις παρακινδυνεύσαντα ταῖς ἀνάγκαις, quod Schweighaeuserus vertit: „Summae autem ait dementiae esse, ob res leves discrimen adire. Atque illum incautum habendum imperatorem, qui nulla necessitate coactus pugnae aleam subeat: strenuum contra, qui tum demum quum ita usus et occasio postulat, intrepide se periculis offert.“

Tum affert fragmentum Krausius ex Nonio sub v. gliscitur, ubi exstat: Sempronius hist. libr. IV: „ut major invidia Lepido glisceretur“ et hoc loco Lepidum se intelligere dicit, qui anno 137 a. Chr. n. cum C. Hostilio Mancino consulatum tenuerit. Sed etiam ex hoc loco omnino non sequitur, ut Asellio bella Punica descripserit, sed potius ut res Hispanicas

tractaverit, praesertim quum Rothium secuti hunc locum cum Appiano c. 83. conferamus, ubi Aemilius Lepidus abrogato imperio et magistratu pecunia insuper multatus esse narratur propter malam belli gerendi rationem. Itaque verisimile est non quatuor sed tribus libris primis bellum Punicum tertium aliasque eodem tempore factas res tractasse, quae ante bellum Hispanicum gestae sunt; attamen de hac re hoc loco diutius disputare nolumus, sed potius postea ad eam redibimus, ut Nipperdei sententiam refellamus.

Quodsi Asellio haec tertio, quarto autem libro bellum Hispaniense narraverit, ad eundem quartum vel quintum librum referendum esse mihi videtur fragmentum apud Gellium I, 13, 10. ubi de P. Crasso Muciano dicit, qui cum L. Valerio Flacco anno 131 a. Chr. n. Consul fuit, quare eum bello in Aristonicum (ab a. 133—130) Eumenis falsum filium gesto Leucadem oppugnasse verisimile est, quod factum Asellio narrat. Ceterum cf. de hoc Crasso Cic. Brut. 26, 98. „P. Crassum valde probatum oratorem iisdem fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit et studio et habuit quasdem etiam domesticas disciplinas. Nam et cum summo illo oratore Serv. Galba cujus filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat, et quum esset P. Mucii filius fratremque haberet P. Scaevolam, domi jus civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse maximamque gratiam quum et consuleretur plurimum et diceret.“ Hic locus Ciceronianus bene congruit cum nostro

fragmento apud Gellium I, 13, 10. „Is Crassus a Sempronio Asellione et plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua: quod esset ditissimus, quod jüris consultissimus, quod pontifex maximus."

Inde a quinto libro Gracchorum tempora Asellio descripsit, quum ex hujus libri fragmento mortem Tib. Gracchi cognoscamus; et quidem copiosius etiam quam bellum Punicum et Numantinum, haec tempora depinxit.

Deinde fragmentum exstat libri XIII ex Gellio IV, 9, 12, ubi exstat: „quod Sempronius Asellio tertio decimo rerum gestarum ita scripsit: Facta sua spectari oportere, non dicta, si minus facundiosa essent." Quo igitur haec verba referenda sint, fere omnino scire non possumus, sed si ad fragmentum libr. XIV specto, ea fortasse ad Marium relata non inepta esse puto, quem anno centesimo a. Chr. n. circiter internorum certaminum inter optimates et plebejos cum Glaucia et Saturnino participem esse sciamus. Jam ex libr. IV fragmentum habemus apud Gellium XIII, 21, 8: „Crepidarium, inquit, cultellum rogavit a crepidario sutore", quem locum si cum Appiani bello civil. I, 36 conferamus, ubi est de M. Livio Druso tribuno plebis anno 91 a. Chr. n. interfecto: „καὶ λέγων ἔτι κατέπεσεν· εὑρέθη δὲ ἐς τὸν μηρὸν αὐτῷ σκυτοτόμου μαχαίριον ἐμπεπηγμένον", mihi verisimile esse videtur, nostrum locum ad illum Drusum referendum esse et quidem illum librum quartum decimum belli Marsici causas initiumque tractasse, quum alterum

fragmentum hujus libri nobis conservatum apud Charisium 2, 14, 126 „Secus pro post Sempronius Asellio historiarum XIV: ne possent aut rationes (stationes) facere hoc secus, i. e. non multo post“ si lectionem „stationes“ reponamus, ad bellum gerendum pertinere videatur.

Post hunc librum quot etiam Asellio confecerit incertum est neque annus, ad quem usque res memoriae prodiderit, definiri potest, sed tamen plures quam quatuordecim fuisse libri videntur, si bellum Marsicum illo libro initum esse ponamus.

Neque vero omnino recta esse potest lectio fragmenti cujusdam apud Charisium 2, 14, 31: „Artificiose ..... Asellio quoque rerum quadragesimo: „tam pulchrum opus tamque artificiose factum passus est dirui“, nam si libro XIV jam bellum sociale enarratur, tum libro XL certe bella civilia inter Pompejum et Caesarem gesta materiem historiae praebuerint. Neque vero hoc tempore Asellio etiam vixisse potuit, potius non multo post bellum sociale vitam extendisse videtur, quum jam bello Numantino tribunus militum esset.

Jam Nipperdeus numerum XL ex XX corruptum esse putat, sed nescio, an non recte conjecerit; quum etiam sex libri post illum decimum quartum nimis longum tempus amplexi essent, ita ut Asellio prius mortuus esse videatur. Mihi videtur totum opus non multo plus quatuordecim libros continuisse, fortasse quindecim, ita ut XL hic ex XV exortum esse possit, quanquam hic numerus necessarius non est.

Ceterum illud fragmentum, quod ad rem attinet, etiam ex quinto décimo libro sumtum esse potest, ita ut bello Marsico aliquod opus magnificum dirutum sit.

Plurimi viri docti illud ad XI librum retulerunt atque intellexerunt de theatro, quod P. Scipio Nasica anno 150 a. Chr. diruisse dicitur (cf. Liv. Epit. libr. 48), sed hoc factum neque libro undecimo neque omnino ab Asellione enarrari potuit, quum a bello Punico tertio historiam suam eum incepisse demonstraverimus.

Itaque iterum dirutum esse theatrum ab L. Scipione Consule anno 83 a. Chr. n. Krausius vult, sed nec scio, an non hoc omnino factum sit, neque mihi placet, Asellionem hoc tempus etiam descripsisse. Denique quod attinet ad locum Appiani bello civ. I, 28, ubi legitur sub annum 101 a. Chr. n. Scipionem Consulem theatrum demolitum esse, Schweighaeusero assentior, qui ad hunc locum annotat: „Si haec ita scripsit et cum iis, quae hodie in codicibus nostris proxime praecedunt atque sequuntur, ita conjunxit Appianus, ab insignis anachronismi culpa purgari non potest. Quippe de re hic agitur, quae viginti et aliquot annis ante latam a Tib. Graccho legem agrariam a P. Scipione Nasica consule iterum gesta est anno U. 599, memorata a Livio Epit. libr. 48, a Vellej. Paterculo I, 15, a Valerio Maximo II, 4, 2 aliisque. Ita fit, ut suspicari aliquis possit, Appianum fortasse permutatis Scipionis et Caepionis nominibus quod ad Scipionem pertinebat, ad Caepionem cons. a. U. 648 retulisse pariterque L. Cassium, qui circa

a. U. 599 censor fuerat cum L. Cassio Consule anno 647 U. confudisse."

Quo modo quum certi quidquam scire non possimus, non diutius de re incerta quaerendum est, sed potius Nipperdeji sententiam de argumento quatuor primorum librorum contemplaturi sumus. Nam hic doctus vir nostrum Asellionem cum bello Numantino ab anno 141 a. Chr. n. historiam suam incepisse putat et ita quidem, ut quisque liber duos annos amplecteretur. Posita est sententia haec in fragmento libri quarti, ubi P. Scipio Aemilianus memoratur, qui ad bellum Numantinum gerendum anno 134 in Hispaniam missus est. Eodem libro Lepido Porcinae invidiam excitatam esse audimus, qui anno 137 consul tum a Vaccaeis 136 victus (conf. Liv. ep. l. 56 Appiani bell. Hisp. 80 seq.) et post reditum anno 135 accusatus est. Jam hoc bellum Numantinum solum quatuor primos libros continuisse non incredibile est, sed mihi non placet neque etiam verisimile est, quum si fragmentum libri XIV ad Drusum anno 91 interfectum referamus, quod mihi necessarium esse videtur, res gestas a Tib. Gracchi nece usque ad Drusi mortem, velut C. Gracchi vitam, bellum Jugurthinum, Cimbricum, seditiones Glauciae et Saturnini eodem modo accurate enarratas multo plus novem libros flagitasse appareat. Itaque Asellionem primis libris quatuor bellum Macedonicum, Graecum, Punicum tertium, Hispaniense tractasse putem; Punicum, quod Scipio id gesserat, Macedonicum et Graecum, quia eodem tempore gesta sunt, et ita quidem, ut liber primus

bellum Macedonicum et Graecum, secundus tertiusque bellum Punicum tertium, quartus bellum Numantinum contineat. Qua in re fragmentum libri tertii apud Priscianum V, p. 668 (ed. Putsch.) „fieri solet plerum ut in victoria mitior mansuetiorque fiat“ ad Scipionem referre possimus, qui in Carthaginis dirutae ruinis sedens illacrimasse et propalam deflevisse fortunam hostium dicitur (cf. Appian. bell. Punic. 132). Nisi potius praeferimus hanc divisionem, ut libro I bellum Macedonicum Graecumque, libro II Punicum tertium, libro III et IV Numantinum Asellio enarraverit, quod Asellionem qui bello Numantino ipse interfuit, id accuratius tractasse verisimile est. Sub hac conditione illud fragmentum fortasse ad Numantinos referre possumus, qui Mancinum foedae pacis auctorem sibi deditum minime receperunt: cf. App. b. Hisp. 83. Tum ab quinto libro omnes illae res gestae, quas supra memoravimus, narratae sunt et bellum sociale libro XV vel XVI finis totius operis fuisse mihi videtur.

Deinde quod ad titulum operis attinet, de eo non constat. Nam libri rerum gestarum laudantur a Gellio II, 13. IV, 9. XIII, 21 et a Charisio II, p. 195, a Servio ad Aeneid. XII, 121, a Prisciano V, p. 118. Omnino autem rerum gestarum vel historiarum, non annalium nomine opus inscripsisse videtur, si quae ipse Asellio de rerum gestarum annaliumque discrimine dixit, animo reputaveris (cf. Gell. 5, 18). Attamen hunc locum priusquam contemplemur et exquiramus, quid in nostro scriptore laudandum, quid desideran-

dum sit, quam brevissime scriptores rerum gestarum ante Asellionem respecturi sumus, ut nostro rectum dignumque locum inter eos attribuere possimus.

Fabium Pictorem primum annalium scriptorem fuisse supra diximus: annales autem sunt libri, in quibus res, quae quoque anno gestae sunt, deinceps narrantur, quum historia nomen universum omnis expositionis sit. Sed scriptores Romani hoc vocabulum praecipue de sui temporis historia usurpasse videntur, et quod haec magis varia luculentaque esse solet, opponitur annalibus descriptis rerum gestarum elegantia composita.

Etiam Livii et Taciti opera annales appellantur, sed maxime antiquissimi historici Romani annalium scriptores fuerunt, similes nostrorum scriptorum chronicorum, qui dicuntur. Neque enim inter se facta hic ita conjuncta sunt, ut alia ex aliis nexa et omnia inter se apta colligataque videantur, sed aliae res gestae tantum aliis inserantur. Atque hoc omnino historiae Romanae proprium est, quamquam processum negari non posse videbimus, qui tum in artificiosissimis operibus Livii, Sallustii, Caesaris et inprimis Taciti apparet.

Jam Q. Fabius Pictor a Livio I, 44 antiquissimus historicus Romanus appellatur. Is erat senator bello II Punico et post pugnam Cannensem Delphos missus est. Eum igitur nobilissimum et genere et ingenio fuisse cognoscimus neque omnino ignotum est, cum reipublicae emolumento viros nobilissimos illorum temporum historiam scripsisse. Neque vero mirum esse

potest, quod primi scriptores Graece scripserunt, quum non solum Graeci iis exempla artis historicae praebere possent, sed etiam eandem materiam tractasse Graecos supra demonstraverimus, ad quod accedebat, quod Romani Graecos de rebus suis edocere volebant. Attamen Fabium etiam Latine scripsisse constat neque plures Fabios scriptores fuisse demonstravit Hertz in l. suo „Streifzug“ p. 32 et Becker in antiq. Rom. Vol. I, p. 39, n. 72, quorum virorum doctorum sententias Bernhardy repudiat in hist. lit. lat. p. 523, n. 485. Jam annalibus suis Fabius brevius antiquissimam historiam, accuratius sui temporis res gestas tractavit atque ita omnes annalium scriptores fecerunt. Fabius igitur a Livio magni aestimatur et ipse Polybius quamquam eum vituperat propter Romae studium amoremque et quod non accuratus in temporibus definiendis fuerit, eundem tamen laudibus afficit Polyb. 3, 8—9.

Juxta Fabium accuratius fontes perquisivit Cincius Alimentus, qui tantum Graece scripsit (cf. Dion. Halic. I, 6 et Hertz de Cinciis Berol. 1842). Formam et genus scribendi Fabii ignoramus, sed quamvis rudis et inelegans fuerit, tamen si annales Pontificum opponimus, permagnum progressum in eo fuisse verisimile est.

Jam bellum secundum Punicum totam ingenii Romani vim excitavit et nobis tres viri occurrunt, qui novum literarum Romanarum tempus significant: Plautus (ab 254—183) comoediam Romanam creavit. Ennius (ab 231—169) carmen epicum Romanum composuit, quo historiam Romanam tractavit et hexametro

versu usus linguam latinam magis formavit fluentioremque reddidit. Maxime autem M. Porcius Cato hujus temporis effigiem praebet, qui primus simplicitate et indecoro dicendi robore relicto priorem siccitatem repudiavit et multis verbis formisque inventis sermonem luculentum facilemque reddidit cf. Cic. Brut. 17, 68. Cato igitur septem libros originum scripsit, quibus Romam Italiae mediam partem ac caput describit, quocum conjungit universam historiam Italicam eodem modo, ut Herodotus. Praecipue eum depingit Bernhardy in lit, hist. Rom. p. 521 „Den Beginn einer praktischen Geschichtsschreibung verdankte man dem M. Porcius Cato, dem biederen Vertreter der guten, aber auschliesslich römischen Sitte etc.“ — Cicero fortasse durius judicium pronuntiat propter inelegantem multis antiquis verbis mixtam scribendi rationem in libr. de orat. II, 12, 52 „Erat historia nihil aliud nisi annalium confectio — hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarum rerum reliquerunt: talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio et dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.“ De toto opere originum cf. Nep. vit. Cat. 3. Etiam magna sui conscientia in ipsa historia Catonis conspicitur ita ut orationes suas inseruisse eum videamus velut apud Gell. 7, 3.

Post bellum II Punicum magis magisque omnes artes literaeque Romam confluunt et cum iis divitiae luxuriae, magnificentia. Nobilissimi viri certant ex-

cellere artibus literisque et sermo Latinus magis magisque elegans fit. Capita hujus novi temporis sunt: Scipio Africanus minor et C. Gracchus, quorum hic eloquentia maxima eminuit, ille eruditissimos nobilissimosque viros circa se colligit. In comoedia tum excellunt Caecilius et Terentius, quorum hic Scipionis amicissimus erat. Etiam philosophia Graeca magis magisque Romam pervenit, praesertim quum illi tres legati Athenienses Carneades, Diogenes, Critolaus, maximi philosophi temporis sui elegantissima eloquentia animos juvenum excitarent. Tum inter illos mille Graecos obsides maxime Polybius eminuit, qui mox Scipionis amicitiam sibi parabat neque minus Panaetius Stoicus memorandus est, qui omnes viri maximam vim in literas Romanas habebant, quamquam plurimi eorum Graece scripserunt, velut Scipionis pater Aemilius historiam descripsit, quam dulcissime compositam esse audimus, item Aulus Postumius Albinus anno 157 a. Chr. n. Consul Latinos et Graecos annales scripsisse dicitur a Macrobio Sat. 2, 16, 5 atque etiam L. Acilium senatorem Graece scripsisse scimus. Sed etiam inter amicos Scipionis studia Romana non negligebantur, sed L. Lucilium, qui satiras Romanas primus composuit, ex eorum numero fuisse constat.

Nobis autem etiam Polybius ille Graecus magnus historicus, qui cum Scipione et Laelio arctissimo amicitiae vinculo conjunctus erat, magni momenti est, quum summam vim ad historiam Romanam ei fuisse constet, id quod plerumque viri docti omiserunt. cf. Henzen. Quaestionum Polyb. specimen (Berlin 1840).

C. W. Nitsch. Polyb. (Kiel 1842). Polybius igitur quadraginta libros historiae universalis scripsit, quam magna ex parte conservatam habemus et quae cum Scipionis consiliis reipublicae administrandae congruit. Studet igitur demonstrare, imperium Romanum vitari non potuisse et subjectis populis saluberrimum esse, atque describere conatus est, quo miro fato factum sit, ut Roma quinque saeculis orbem terrarum sibi subjecerit. Ipse historiam suam πραγματικήν nominat i. e. πολιτικήν, nam historiam in tres partes dividit, primum in eam, quae fabulas heroum antiquissimas tractat, tum quae origines urbium describit, denique quae facta populorum tractat πολιτικήν vel πραγματικήν neque omnino negare licet, Polybium de rebus publicis et militaribus lectores doceri voluisse, quare historiam suam etiam ἀποδεικτικήν appellat. Polybius igitur est omnino vir rerum civilium peritus et Romae magnitudinem praeclaris legibus et reipublicae bene constitutae deberi demonstrat; historiam quasi reipublicae actionum et commutationum proponit, quo factum sit, ut imperium Romanum exoriretur. Plerumque facta singula hominum ex animo humano exorta esse confirmat, passim tamen fati potestatem et vim confitetur.

Talis erat Polybius, quem Tacitus postea inprimis secutus est, sed etiam nostrum Asellionem primum jam in rebus gestis scribendis pragmaticum consilium habuisse et Polybium imitatum esse videbimus.

Sed ante nostrum scriptorem diu eadem ratio scribendi permansit, quam Pictor et Cato secuti sunt:

talis erat Fulvius Nobilior anno 189 Consul, cujus annales sicci aridique fuerunt; cf. Cic. Brut. 27 „annales sane exiliter scriptos". Tum L. Cassius Hemina eodem modo quatuor libris historiam ab antiquissimis temporibus usque ad suam aetatem scripsit. Deinde C. Fannio Laelii genero veritatis studium attribuitur et Cic. de eo Brut. 26: „et moribus, inquit, et ipso genere dicendi durior", sed etiam „ejus omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta". In eodem Bruto haec dicit de Sempronio Tuditano qui 129 Consul erat „quum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum ejus elegans est habitum etiam orationis genus. Praeterea Cn. Gellium memoramus, qui anno 100 libros historiarum scripsit, praeter quem nullus alius Gellius historicus fuit: cf. Nepperdej in philol. Schneidev. VI vol. p. 131.

Denique ad duos maximos historicos antiquiores pervenimus L. Caelium Antipatrum et nostrum Sempronium Asellionem, quorum prior in historiam eloquentiam quandam intulit, quod Cic. de orat. II 12 profitetur „paululum se erexit et addidit historiae majorem sonum vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis, sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad

dicendum sicut potuit, dolavit; vicit tamen ut dicis, superiores" et de legg. I. 2 „Fannii autem aetate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore et palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent, denique Brut. 26: L. Caelius Antipater scriptor, quemadmodum videtis, fuit, ut temporibus illis luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi magister."

Antipatrum igitur historiam antiquissimam omisisse et tantum, quod ipsius tempore et paullo ante factum erat, descripsisse ex Cic. Orat. 69 videmus: „quod se Caelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat."

Jam eandem rationem noster Asellio secutus est, quem supra vidimus historiam ab tertio bello Punico describere coepisse, quocum etiam Gellius 5, 18 congruit „resque eas, quibus ipse interfuit, conscripsit". Nam Asellionem sub Scipione bello Numantino tribunum militum fuisse scimus neque vocabulum „interfuit" nimis urgeri necesse est, ita ut jam bello Punico ipsi pugnandum fuerit, sed quum hoc bellum peraptum scribendi initium praebeat atque quum Scipio imperator sibi hic maximam gloriam paraverit, hoc principium ejus historiae mihi verisimile esse videtur.

Quodoi Asellionem tempus suum a bello Punico tertio usque ad bellum sociale accuratius tractasse vidimus, quod hoc opus nobis non conservatum est dolebimus idque eo magis, si nunc consideraverimus,

quo consilio quaque arte historiam suam scripserit, quamquam nostrum scriptorem non elegantissimo sermone usum esse fatendum nobis est, sed potius de ipso verba de aliquo in fragmento apud Gellium 4, 9, 12 ab eo facta dici possunt: „facta sua spectare oportere, non dicta, si minus facundiosa essent.“ Etiam ad hanc scribendi rationem solam vel genus Ciceronis judicium referendum est neque ad totum opus, quamqam ille elegantissimus orator propter inelegantis sermonis horrorem omnino scriptorem contempsisse ac despexisse potest. Cicero enim de legg. I 2 ita loquitur: „Ecce autem successere huic bello Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam.“ Si haec verba accuratius contemplamur, primum vocabulum bello notandum est, pro quo Vossius plurimique editores Gellio conjecerunt; sed quum Nipperdejus unum Gellium solum historicum fuisse demonstraverit et animum advertat ad Cic. locum de div. I 26, 55, ubi exstat contrarium nostri loci, quod hoc loco Gellium majorem natu fuisse quam Caelium Antipatrum invenimus (verba enim haec sunt: Fabii, Gellii, sed proxime Caelius) illa conjectura rejicienda est. Jam Nipperdejus hoc vocabulum bello nomen scriptoris esse non posse putat, quum Cicero tantum notissimos eorum numeret neque nos omnino nullum scriptorem noverimus, cujus nomen illi vocabulo bello simile sit: quare bello, pravum additamentum esse alicujus librarii, qui Caelium propter Ciceronis laudem bellum appellaverit. Sic Nipperdejus et nos ei

assentiri possumus, si nullum alium scriptorem hic a Cicerone addi putat, sed facile mihi conjici posse videtur, id quod Hertzius conjicit, ita ut Caelio vel Celio pro „bello“ scribamus.

Etamsi ratio scribendi vel stilus non elegantissimus erat, tamen quod attinet ad rem ipsam, si quae ipse in prooemio dixit, fecerit, qui antecesserunt, eos multum superasse nostrum Asellionem apparet. Ille enim apud Gell. V 18: „Verum inter eos, inquit, qui annales relinquere voluissent et eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantummodo, quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, i. e. quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent, demonstrare.“

Nam codices hanc lectionem praebent, sed Nipperdejus scribi vult quid pr. quod duobus illis locis neque negare possumus, priore loco quid rectius esse, sed non intelligo, cur postea necesse sit atque cur sequentia verba gesta essent demonstrent, vocabulum quid ad totam sententiam referendum esse. Tum „gestum sit“, falso hic positum esse pro gestum esset constat invita consecutione temporum. Neque vero intelligo conjunctivos „factum esse“ et „gesta essent“ propter orationem obliquam poni posse, quum jam recta conjunctivos praesentis efflagitatura sit. Mihi quidem potius videtur sermo ille antiquus non nimis severe distinxisse conjunctivos, quum

jam supra conjunctivus modus Plusquamperfecti „voluissent“ me offenderit, quod interfecit perfectum praesens mihi videtur esse. Corruptiora his verbis sunt haec quae sequuntur, quae nobis ita tradita sunt (cf. Hertz, Streifzug, p. 39). „Nam neque alacriores ad rempublicam defendendam, neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere autem bellum initum quo consule, et quo confectum sit et quis triumphans introierit et eo libro, quae in bello gesta sint iterare id fabulas non praedicare aut interea quid senatus decreverit, aut quae lex rogatiove lata sit neque quibus consiliis ea gesta sint, iterare, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.“

Jam initio mutatum est perperam in propositam, sed recte Nipperdejus annotat, scriptoris nihil interesse posse, ut segniores omnino ad celeriter agendum vel ad consilia conficienda moveantur, sed tantum eum velle posse ut bona consilia capiant et peragant. Ipse igitur nihil mutat, sed tantum transponit, ita ut legamus: „alacriores ad rem perperam faciendam neque segniores ad rempublicam defendendam,“ id quod bonum verborum sensum praebet et perfacile corrumpi poterat propter verborum similitudinem, quam postea transpositionem effecisse inter omnes constat. Attamen Nipperdejus vertit: „Weder auf die, welche munter sind, Böses zu thun,“ quod mihi non placet, quum Asellio non dicere mihi videatur eos, qui maligni scelestique homines sunt, sed qui temeritate audaciaque saepe rem publicam per-

dere possunt. Quare equidem „publicam“ addo et verto: „Weder auf die, welche zu keck sind, so dass sie dem Staatswohl Verderben bringen können.“ Nam notio vocabuli alacer lebhaft, munter, ungeduldig non ad hominem malum scelestumque accommodari posse hoc loco mihi videtur. Tum pro ex eo libro Hertz distinguit ex eo (sc. bello), libro quae etc. ubi vocabulum libro ante relativum neque Nipperdejo neque mihi placet. Neque vero in sua editione noctium Atticarum Gellii hanc conjecturam Hertz servavit, sed ita scripsit „et eo libro“. — Iterare omnes recte ad priorem locum referre Nipperdejus dicit, „id fabulas“ ad alterum sed iterare rectum non esse potest. Gronovius sane explicat: antique pro memorare, referre, attamen hoc ex ejus animo esse videtur, neque vero propria significatio aptum sensum hic praebet. Itaque scribit Nipperdejus enarrare sed equidem non intelligo, cur narrare scribere nolimus, quum simplex verbum narrare solum facillime in iterare corrumpi potuerit. Denique putat Nipperdejus editiones aut post praedicare recte in autem mutare, sed omnino non intelligo, cur non hic sententiam disjunctivam tenere possimus et „aut-aut“ scribamus, nam interea etiam hac in collocatione ad duas partes referri potest, quod si quis negat, tamen facillime in altera parte subaudiri potest. Itaque mihi scribendum esse videtur: „Nam neque alacriores ad rem publicam perperam faciundam neque segniores ad rem publicam defendendam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere

autem bellum initum quo consule et quo confectum sit et quis triumphans introierit et eo libro quae in bello gesta sint narrare, non praedicare aut interea quid senatus decreverit aut quae lex rogatiove lata sit neque quibus consiliis ea gesta sint, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere." Quam scripturam praeferamus lectioni Mommsenii, qui ita scribi vult „et eo libro, quae in bello gesta sint, non praedicare, aut interea etc. . . . gesta sint iterare: id fabulas etc. . . .", quum vocabulum iterare rejiciamus et scriptores annalium etiam maximas res gestas enarrasse constet (cf. p. 3. Servium ad Aeneid. I, 373).

Quodsi his verbis perquisitis accuratius hujus fragmenti argumentum contemplamur, Asellionem lectoribus suis historiam promisisse cognoscimus, quam jure artificiosam appellare possumus, in qua Polybii rationem historiae scribendae secutus esse videtur, qua re altius ingenii principium accuratioremque percipiendi rationem historiae intulit. Iam Cato, quae majoris momenti erant, ab aliis levioribus rebus discrevit et postulavit, ut historia pragmatica fieret. Huic igitur studio demonstrandi, qua ex causa vel quo consilio aliquid factum sit, respondent haec fragmenta apud Nonium p. 481: „ut major invidia Lepido glisceretur," et apud Gellium 13, 3, 6: „nam se patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum nimis bonum imperatorem signis collatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset."

Praeterea exempla habemus in fragmentis nobis conservata, quibus Asellio viros magnos eorumque ingenium depingere studet, veluti T. Gracchi apud Gellium 2, 13: „nam Gracchus domo cum proficiscebatur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur.“ Atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit: „orare coepit id quidem ut se defenderent liberosque suos; eum quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci jussit populoque commendavit prope flens.“ Item Crassi Muciani ingenii propriam narratiunculam habemus apud Gellium I, 13, 10—13: „Is Crassus a Sempronio Asellione et plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua: quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod juris consultissimus, quod pontifex maximus. Is quum in consulatu obtineret Asiam provinciam et circumsidere oppugnareque Leucas pararet, opusque esset firma atque procera trabe, qui arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret, scripsit ad magistratum Mylassensium sociorum amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter major esset, eum mittendum curaret. Tum magistratus comperto, quam ob rem malum desideraret, non uti jussus erat, majorem, sed quem esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari jussit et cum interrogasset, cur non quem jussus erat, misisset, causis rationibusque quas dictitabat spretis, vestimenta detrahi imperavit

virgisque multum cecidit, corrumpi atque dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat."

Tum de artificio quodam dicit: „tam pulchrum opus tamque artificiose factum passus est dirui." Denique etiam sententiam communem invenimus apud Priscianum 5, 12, 65: „ut fieri solet plerum, ut in victoria mitior mansuetiorque fiat."

Deinde si ad formam operis spectamus, fateri quidem nos necesse est, eum multis veteribus vocabulis neque elegantibus structuris usum esse velut plerum pro plerumque (Prisc. 5, 12, 65), audisse dicere pro audisse dicentem (Gell. 13, 3, 6), liberos pro uno filio (Gell. 2, 13) secus pro post. (Charis. 2, 14, 226), denique in hac elocutione (Gell. I 13, 10 seq.): „quem esse magis idoneum aptioremque faciundo arieti facilioremque portatu existimabat minorem misit," conjunctivum exspectaverimus, quod relativa elocutio causam quandam complectitur. Postremo fragmentum quoddam memorandum est, quod apud Servium ad Verg. Aeneid. 12, 121, invenimus: „Asellio historiarum tritarum quartum signum accedebat sive pilatim sive passim iter facere volebant, ubi Vossius conjecit „Romanorum historiarum quarto", sed magis mihi probatur lectio Hertzii: „historiarum I: triariûm quartum accedebat."

Talis igitur erat Asellio ejusque historia neque si longiora fragmenta contemplamur, in iis sermonem

tam languidum aridumque esse credo, quam Cicero vult, sed mihi potius videtur hic eloquentissimus elegantissimusque orator Romanus justo plus ab his veteribus scriptoribus flagitasse et fortasse majorem vim quam deceat, eloquentiae in historia voluisse, quamquam libenter concedimus, nostrum Asellionem, quod attinet ad formam vel genus scribendi, minus elegantem fuisse atque ab Antipatro longe superatum esse. Recte enim Nipperdejus haec dicit: „Das Zeitalter der Gracchen hat zwei in der Geschichte der älteren römischen Historiographie ausgezeichnete Persönlichkeiten, wenn auch einseitig ausgezeichnete hervorgebracht. Caelius war der erste bewusste historische Stilist; den historischen Stoff verfälschte er freilich zu Gunsten seiner Rhetorik. Den Asellio fand Cicero in stilistischer Hinsicht eben so schläfrig und ungeschickt, als die Vorgänger des Caelius; aber wenn man ihm die Befolgung der Grundsätze zutrauen darf, die er selbst ausgesprochen hat, so muss er in Bezug auf den Inhalt seine Vorgänger weit übertroffen haben.“ Etiam Bernhardius historiam antiquam Romanam satis bene depinxit, qui: „So lag also, inquit, der Kern dieser Studien in der Darstellung längerer oder der jüngsten, zum Theil selbst erlebten Perioden der Republik, und man schritt hier merklish von der Magerkeit und spröden Einfalt des C. Fannius und L. Cassius Hemina bis zur Einsicht in der Forderung historischer Kunst fort, wie P. Sempronius Asellio. Ein Aufschwung und Anflug zur Rhetorik wurde schon sichtbar bei L. Caelius

Antipater.“ Quamquam in universum Bernhardy omnibus historicis Romanis ante Ciceronis tempora justo minorem vim in historiam Romanam attribuisse mihi videtur, etsi ipse Ciceronem recte dixisse in Bruto 64 credo, hoc genus scriptionis nondum satis Latinis literis illustratum esse.

Quodsi nunc in fine nostri libelli ad proximum tempus post Asellionem spectamus, certamina partium vim maximam habere in historicos cognoscimus, ita ut tum viros nobiles clarosque de vitis suis scribere videamus. Tales sunt M. Aemilius Scaurus et P. Rutilius Rufus, de quo cf. Tacit. Agr. 1, 1. „Plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit“ cf. Cic. Brut. 29, 111: „In Scauri oratione sapientis hominis et recti gravitas summa et naturalis quaedam auctoritas“, sed 29, 112: „Hujus et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit“ et 39, 114: „Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est.“ Tum jam Q. Lutatius Catulus elegantius scripsit; cf. Cic. Brut. 35: „jam Q. Lutatius Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro eruditus: multae literae, summa . . . . . orationibus etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas, quae cum perspici ex orationibus ejus potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium; qui liber nihilo

notior est quam illi tres, de quibus aute dixi, Scauri libri."

Eodem tempore floruit etiam grammaticus L. Otacilius, Pompeji praeceptor, qui primus libertorum historiam scripsit; item M. Terentius Varro, qui cum Catone et Cicerone gravissimum locum in literis Romanis obtinet, de vita sua tres libros composuit. Tum Sulla artibus literisque politus eruditusque vitam suam libris viginti uno descripsit neque parvam vim in literas habuit. Cujus partes sequebatur L. Cornelius Sisenna, qui maximi momenti erat, quum in confinio veteris novique temporis staret elegantiamque quandam persequeretur, quamquam multa etiam verba vetusta usurpavit (cf. Brut. Cic. 64, 228). Praeterea etiam memorandi sunt Q. Claudius Quadrigarius, qui universam historiam rursus ab illo incendio Gallico scripsit, quae plena est multorum vetustiorum verborum cf. Gell. 9, 13. Liv. 35, 20. 25, 39. Tum C. Licinius Macer, denique Valerius Antias magna opera historiarum composuerunt, ex quibus Antias minus fidus et accuratus fuit.

Jam ad Ciceronis tempus pervenimus, quo maxime per Ciceronem ipsum exortus est sermo eruditorum communis atque inde historia celerrime processit. Nam et Cicero ipse de consulatu suo scripsit, et tres historici sunt, qui hoc tempore florebant, quorum elegantissima opera nos docent, quam longe Romani in arte historica et eleganti sermone processerint: Caesar, Sallustius, Livius. Deinde republica sublata sub imperatoribus eloquentia et histo-

ria coeperunt paullatim deflorescere, dum Augusto imperatore poesis in summo flore est, jam libertas dicendi in historia eloquentiaque desinit. Tum sub sequentibus tyrannis omnes nobilissimi viri silere coacti sunt, donec Tacitus, maximus scriptor Romanus historiae novum splendorem affert, sed post eum celerrime historia ad interitum vergit. Quamquam Ammianum Marcellinum medio quarto saeculo p. Chr. n. dignum Tacito successorem appellare licet. Omnino tamen historia tum eo pervenit, unde coeperat, ad aridos siccosque annales.

Talis fuit historia Romana, in qua magnum meritumque locum nostro Asellioni nos vindicasse speramus.